



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. II. An peccet utens dispensatione concessâ, sine causa?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

agere sine ratione) nec *fidelis*, quia sic non utitur convenienter potestate sibi concessa, ut constat ex Trid. *sess. 24. c. 5. ibi: vel nulla deur dispensatio, vel raro, idque ex causa;* & *sess. 25. c. 14. iterum causa requiritur;* & c. 18. ubi dicitur, *cum aliquibus dispensandum cum summa maturitate, & causa cognita, ubi urgens, iustaque ratio, majorque, quandoque expostular.* sic Pyrrhus Corradus *cit. l. 1. c. 1. n. 6.* & alij communiter.

2064. Suarez *cit. c. 18. n. 17.* & complures alij docent, *dispensare sine iusta causa esse peccatum grave.* Nam hoc nihil aliud est, quam unicuique portam aperire ad transgressionem legis, ut ait Trident. *cit. c. 18.* quis enim non videt, sic occasionem dari, & sumi, minoris observantiae? Alij tamen (ut Sanchez *cit. n. 7.* Salas *cit. sect. 5. n. 55.* Castropalaus *p. 1. tr. 3. d. 6. p. 8. q. n. 5.*) verius censent, *ex genere suo esse tantum veniale, licet grave sit in casu, quo fieret sine causa cum scandalo, & eo damno à dispensante praevisto, quod non adeo frequens est; quia ex se talis actus, quo pars non conformatur toti in aliqua lege; secluso alio scandalo, & damno, res non est graviter contraria rectae rationi.*

2065. Dixi. 2. ut Legislator *humani* valide dispenset in lege sua, non requiri causam. 1. quia quaelibet dispensatio sine causa in lege naturali, vel divina invalida est; quia etiam Deus summo Pontifici pro quibusdam casibus commiserit potestatem dispensandi nomine suo, non commisit illi tamen facultatem eam utendi *ex libitu*, sed iusta causa intercedente, ut agat tanquam dispensator prudens, & fidelis in iure eius, cuius ei curam dedit. sic D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. Gloss. in c. *Non est, v. adimplere, de voto.* & alij plurimi. Idem est de dispensatione inferioris in lege superioris, ut docet Sanchez *cit. d. 17. n. 4.* cum plurimis ibid. relatis. Nullus enim superior censetur inferiori concedere potestatem relaxandi legem à se mature conditam, nisi occurrat causa rationalis, & sufficiens, ne potestas commissa irrationabiliter usurpetur. Et hoc procedit, esto inferiori committeretur facultas dispensandi cum plenitudine potestatis. Nam esto superior humanus id absolute possit, ut tenet Salas *cit. d. 40. sect. 4. n. 32.* non est tamen unquam praesumendum; ita

Sanchez *cit. d. 17. n. 5.* quia semper praesumi debet de superiore tali, quod commissionem suae potestatis faciat, pro casu rationabili, & in adificationem.

Nec juvat dicere, quod etiam Legislatori humano sic à Deo concessum sit, ut potestate condendi, ac relaxandi utatur solum ex causa rationabili; responderetur enim, id verum esse, quando agitur de potestate homini à Deo commissa, *ut Dei nomine dispenset in lege Dei;* non autem, *ut homo suo nomine dispenset in lege humana.* Nam ex abusu potestatis, quem facit homo, sicut ex alijs malis, divinus superior, qui ejusmodi mala permittit, permissione conducente etiam in hominis praedestinationem, elicere potest bona maxima; non humanus.

## §. II.

*An peccet utens dispensatione concessa sine causa?*

2067. Utentem dispensatione, quam Legislator etiam sine causa, *valide*, quamvis illicite concessit in lege sua, non peccare, etiam venialiter; sic Castropalaus *cit. q. 1. n. 8.* cum Suarez *cit. l. 6. c. 19. n. 14.* & alijs. Nam lex illa positiva (in qua valide dispensatum est) non extat amplius; ergo contra illam non peccat; sed nec peccat contra aliam legem, se non conformando alijs non dispensatis; nam dispensatio valida illum ab hoc eximit: nec etiam peccat *utendo* dispensatione valide concessa; nam usus rei, sublatà legis prohibitionem, non est illicitus; etsi peccet, petendo fieri dispensationem sine causa.

2068. Et quamvis superior secum sine causa dispensando in lege sua, etiam utendo dispensatione, peccet; id tamen est ex ratione, quae non afficit subditum utentem dispensatione sibi valide concessa. Hic enim non tenetur dispensationem, & imprudenter, & non fideliter à Legislatore factam revocare; cum ei non incumbat cura gubernandi communitatem per leges, quas condendi, & conservandi potestate gaudeat; secus, superior.

2069. Illud adhuc not. quod juxta Pyrrhum Corradum *l. 1. num. 7.* causa dispensandi nunquam subintelligatur, nisi exprimat; & eam non expressam dispensationem reddi nullam; & sic dispensatum non fore tutum *quoad Deum*, imò peccatum toties,



toties, quoties dicta dispensatione uteretur; nbi tamen n. 9. subjungit, *secus esse in foro exteriori*. Verum pro foro conscientie contrarium videtur dicendum. 1. saltem in dispensatione concessa per inferiorem Pontifice. Nam in horum rescriptis non exigitur forma styli Romanæ Curie. 2. quia si causa per incuriam officium ommissa est, non debet in foro conscientie præjudicare oratoribus, qui sine dolo sincerè processerunt. 3. quia cum dispensatio valeat, data sine causa; non est, unde requiratur ad licitum ejus usum in foro conscientie, expressio causæ.

#### ARTICULUS IV.

##### De dispensationum causis in particulari.

2070. Corradus *cit. l. 7. c. 2.* plures recenset causas ad dispensationes in impedimentis matrimonij obtinendas de stylo, & in praxi receptas, quibus Pontifex moveri solet, ad concedendam supplicantibus impedimenti, cæteroque dirimentis eorum matrimonium, dispensationem; ex his magis communes, & frequentes proponemus; sed not. hic, quod diximus supra, non pro omnibus eandem causam sufficere, ut ibid. annotatum est; urgentiorem enim causam requirit dispensatio in propinquiori, quam remotiori gradu; præsertim, quando impedimentum non pendet à sola Ecclesiæ constitutione, sed ab alia obligatione præsupposita, quam dispensandi voluntate sibi sua imposuerunt, ut est votum.

#### §. I.

##### De prima causa propter angustiam loci.

2071. Inter frequentiores causas, ob quas pro dispensatione supplicari solet, satis recepta est, si propter *angustiam loci* non inveniat æquale matrimonium, nisi ineatur cum personâ consanguinea, affine, vel aliter impedita. Ex hoc enim fit, quod mulier deberet vel in nupta remanere, quod est grave; vel in alium locum commigrare, quod est nimis durum: aut inferiorem nubere, quod communiter habet difficiles exitus. Not. autem, *angustiam loci* non tantum allegari posse, quando femina, sed etiam quando vir in tali loco non reperit æquale conjugium, nisi nubat impedito. Nec enim vir cogi debet ad matrimonium inferius, vel dispar, aut ad omnino caren-

dum; sic Caspar Hurta d. *de matr. diff. 16. diffic. 3. n. 11.* Dicastillo *tr. 10. d. 8. n. 88.* Et colligitur ex Brevi Innoc. X. apud Gobat in *Theolog. Experim. tr. 9. n. 187.*

Not. autem, quod hæc causa (*nisi nubat consanguineo, vel affini v. g.*) possit tripliciter allegari. 1. simpliciter, quod in tali loco, civitate, provincia, vel diocesi non possit alium paris conditionis reperire. 2. quod non possit alium habere etiam *de novo in alium locum se transferendo*. 3. quod non possit habere alium in illo loco, & si extra dictum locum nubere cogere, doct. quam habet, non sufficeret, ut invenire paris conditionis virum; ita Pyrrhus Corradus in *p. axi dispens. Apost. l. 7. c. 2. n. 6.* Nam primo modo allegare *angustiam loci*, non æquè sufficeret pro dispensatione *in secundo gradu*, quam allegare angustiam loci, secundo, vel tertio modo.

Circa hanc causam ex *angustia loci* petitam, plura annotant Corradus *cit. l. 7. c. 2.* & Vincentius de Justis *de dispens. matr. l. 1. c. 3. qui n. 2. docet*, ex stylo regulariter requiri, quod, ut hæc causa verificetur, requiratur; ipsam non posse matrimonium æquale invenire in loco originis, non domicilij, nisi Pontifex sciens locum originis, nihilominus concedat, verificari in loco domicilij: sed Gobat *cit. dicit*, si in loco domicilij non reperiat æquale matrimonium, ut habet *n. 644. nec angustia loci sine lege restringi debet ad locum originis. sic idem n. 648. cum alijs.*

Docet. 2. n. 4. olim hanc causam fuisse receptam, etiamsi allegata fuerit ab oratoribus originem habentibus etiam in magis, & frequentibus civitatibus; nunc autem restrictam: cum non recipiatur, nisi oratores sint ex loco originis, *verè angustia* hoc est, tali, qui etiam cum suburbis non excedat trecenta focularia; & prius, quam recipiatur, exigi, quod desuper exhibeat testimonium Ordinarij talis loci, quoad dictam *angustiam*; sic de Justis *cit. l. 1. c. 2. num. 5.* sed hoc intellige juxta seq. *num. 2095.*

Not. autem. 1. verificari hanc causam etiam in locis, ubi est frequens incolæ, si considerata *qualitate* oratoris, vel oratrici, æqualis sponsa, vel sponsus in eo non reperitur, prout sæpe, etiam in turbibus frequentibus, evenire solet; & à fortiori, si locus sit solum pagus; sic Gobat *cit. tr. 9.*